

¶ CORR. ROM. a Laicum etiam.] In codice Græco hic est canon 41. quemadmodum superior hujus Capituli pars est canon 42. Sed in neutro Canone fit mentio Laici (sicuti neque in versione Dionysii, quam afferunt Burchardus, & Ivo.) sed utrobique est, *ἱερατικὸν ἢ κληρικόν*, id est, Sacerdotalem, vel Clericum. In prisca tamen versione canon 41. sic habet: *Non oportet Ministrum altaris, vel etiam Laicum.*

<sup>b</sup> Et in Aquiligran. c. 73.

XXXVII. Item EX EODEM, c. 54 <sup>b</sup>. [an. 320. *ibid.*]

*Quibus Spectaculis Clericus interesse non debet.*

<sup>1</sup> Ivo, p. 11. c. 78. <sup>k</sup> canis. orig. **N**on oportet Ministrum altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut scenis exhibentur, interesse: sed antequam Thymelici ingrediantur, surgere eos de convivio, & abire.

¶ CORR. ROM. Hoc Caput non est in Canonum volumine Græcè Parisi anno 1540. impresso. Habetur tamen apud Balsamonem, & videtur indicari c. 24. sextæ Synodi. Gratianus autem recitat ex prisca versione.

¶ PITH. 7 De convivio, & abire.] V. C. de convivio abire.

XXXVIII. Item AUGUSTINUS ad Possidium, & qui cum eo sunt Fratres, Epist. 73. [c. an. 415. in Africa.

*Colorum fucis mulieres uti non debent.*

<sup>12</sup> Pars. <sup>1</sup> Fucari. orig. **F**ucare pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est: quæ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittere sunt femine ornati, secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus, maxime Christianorum, & Christianarum non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt.

<sup>m</sup> xxvi. g. 2. <sup>illud.</sup> §. 1. Execranda autem sperditio ligaturarum (in quibus etiam inares virorum, in fumis ex una parte auribus suspensæ deputentur) non ad placendum hominibus, sed ad serviendum Dæmonibus adhibetur.

XXXIX. Item EX SYMBOLO Ephesini Concilii cc. Episcoporum, quod habitum est contra Nestorium. [simò ex Epistola Cyrilli & Alexandrinæ Synodi, an. 431. in Ægypto.]

*Quod Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio.*

<sup>13</sup> Pars. <sup>o</sup> Ivo, p. 1. c. 3. <sup>p</sup> Joan. 16. **D**e Spiritu dicit Dominus in Evangelio P. *ille me clarificabit.* Hoc rectissime sentientes, unum Christum Dominum, & Filium, non velut alterius egentem gloriam, con-

stentur à Spiritu Sancto gloriam consecutum: quia ejus Spiritus nec melior, nec superior ipso est: sed quia mira opera faciens ad demonstrationem suæ Deitatis, virtute proprii Spiritus utebatur, ab ipso dicitur clarificari: quod virtus sua, vel disciplina quælibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus ejus, & intelligatur in persona proprietatis, juxta id, quod Spiritus est, & non Filius; at tamen ab illo alienus non est. Nam Spiritus appellatus est veritatis: & veritas Christus est. Unde & ab ipso similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per manus sanctorum Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificavit Jesum Christum, postquam ascendit in Cælum. Nam creditus est Christus naturâ Deus existeret, per suum Spiritum virtutes efficiens: ideoque dicebat: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

XL. Item DIDYMUS in lib. 2. de Spiritu Sancto, contra errores Græcorum. [an. 372. Alexandria.]

*De eodem.*

**S**alvator, qui & Veritas, ait: *Non enim loquitur à semetipso: hoc est, non sine me, & sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis à meo & Patris est voluntate, & amplius.* §. 1. Quia non ex se est: sed ex Patre, & me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur à Patre, & me illi est: *Ego & veritatem loquor; id est, inspiro, quæ loquitur, liquidem Spiritus veritatis est. Dicere autem, & loqui in Trinitate, non secundum consuetudinem nostram, quæ ad nos invicem sermocinamur, & loquimur, accipiendum: sed juxta formam incorporearum naturarum, & maxime Trinitatis, quæ voluntatem suam inserit in corde Credentium, & eorum, qui eam audire sunt digni: hoc est dicere, & loqui.* §. 2. Loqui ergo Patrem, & audire Filium, vel e contrariò Filio loquente audire Patrem, ejusdem naturæ in Patre, & Filio, consensuque significatio est. Spiritus quoque Sanctus, qui est Spiritus veritatis, & Spiritus sapientie, non potest Filio loquente audire, quæ nescit: cum hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, Consolator manans de Consolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens. Denique, ne quis illum à Patris & Filii voluntate, & societate discerneret, scriptum est: *Non enim à semetipso loquitur: sed sicut audivit, loquitur.* Cui etiam simile de seipso Salvator ait: *Sicut audivo, & judico.* & alibi: *Non potest Filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

<sup>a</sup> Joan. 16. <sup>b</sup> Joan. 5. <sup>c</sup> Ibid.

¶ CORR. ROM. a Salvator.] In originali hæc antecedunt, *Dehinc in consequentibus de Spiritu veritatis, qui à Patre mittatur, & sit Paracletus, Salvator, &c.*

F I N I S.

Immortali Deo immortales gratias.



CANONES POENITENTIALES,

QUORUM NOTITIA VIRIS ECCLESIASTICIS

EST VALDE NECESSARIA.

SUNT ENIM QUÆDAM REGULÆ DIRECTIVÆ

ad Penitentias delinquentibus imponendas.

**C**ONSIDERANDUM est de Canonibus Penitentia- bus. Ad quorum intelligentiam prænotandum est, quod sicut est in Scientiis practicis, quæ versantur circa operam, quod sermo in universalibus incertus & dubius: sed cum applicatur ad singularia, incipit quodam modo habere certitudinem, ut qui non considerat circumstantias particulares, potius deviet, quam se rectificet, ut patet in Medicina, & Scientia Mortali. Sic est intelligendum in proposito, quod Canones insunt in generali quomodo est penitentia imponenda: sed descensum ad singularia Presbyteris discretis relinquant, qui considerant circumstantias personarum, attendentes ad Canones sicut ad Regula directivas: quia, si contra Canones imponant, non rectè imponunt. Nulli ergo Presbytero licet facere aliquid, quod possit Patrum regulis obviare, *dist. 38. nulli.* In Canonibus autem maxime determinatur penitentia quoad tempus; & magis quam quoad modum: quia illa determinatio est certior & communior. Hæc Bonaventura. Ut ergo scias qualiter debeat procedere arbitrium Presbyteri, nota regulariter, sicut dictum est supra, septennis est pro peccato mortali penitentia imponenda, & hoc non tantum propter temporis diturnitatem: sed magis propter significationem. In veteri enim Lege Maria soror Moysi lepra percussa separata fuit extra castra septem diebus, *Num. 12.* Maria significat penitentem; interpretatur enim amarum mare. Hæc penitentia septem diebus, sed nunc penitentia septem annis: quod significatum est *Ezech. 4.* Diem pro anno dedi tibi.

§. 1. Si queratur quare penitentia sit aggravata, cum Lex nova sit Lex misericordie? Respondo quod hic est major ingratitudo propter majorem gratiam, & major contemptus propter majorem dignitatem novæ Legis, in qua Christi sanguis est effusus, & gravior peccatum propter statum peccantis, qui debet esse perfectior. Et ulterius satisfactio in Lege nova debet esse perfecta, ut in pristinum statum reducat. Et quia sol in una die non redit in idem punctum, sed in anno: ideo dies conversus est in annum. Rursùm. Quia perfectum remedium est in Lege nova; ideo annus multiplicari debet per septem, propter septem dona Spiritus Sancti recuperanda, & propter septem dotes: scilicet tres anime, & quatuor corporis obtinendas. Hujusmodi autem penitentia non est omnibus imponenda, nec tamen est infirmenda: sed est insinuanda, ut cognoscatur quam gravis est culpa. Hæc Bonaventura. Licet autem pro singulis peccatis criminalibus sit statuta talis penitentia; debet tamen imponi magis vel minus alpera, prout majoritas vel minoritas criminis cum ceteris circumstantiis hoc exposcit, ut in sequentibus patet. A prædicta namque regula excipiuntur plurimi casus, in quibus propter dignitatem peccantis vel criminis enormitatem imponitur penitentia major: aliquando etiam ex variis causis minor. Ad hoc ergo quod Presbyter circa penitentias disponendo cautius arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per Canones certæ penitentia imponuntur, quos scilicet Canones tenetur Presbyter scire, ut dictum est supra. Sunt autem isti.

§. 2. Primus est, quod si Presbyter fornicationem fecerit, penitentiam x. annorum faciat hoc modo: scilicet, quod sit inclusus, sive à ceteris in aliquo loco remotus: facio indutus & humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans. Primis tribus mensibus continuis à vespere in vespere panem & aquam utatur, exceptis Dominicis diebus, & Festis præcipuis, in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis autem sic tribus primis mensibus de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum scandalizet. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur. Post hoc resumptis viribus aliquantulum, unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis & aliis præcipuis Festis, in quibus vino, sagmine, ovis & caseo poterit uti. Finito sic primo anno & dimidio, particeps sit corporis Domini: & ad pacem veniat, & ad Palmos cum aliis Fratribus canendos in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat: sed minorum Ordinum tantum officia gerat, deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas Ferias, scilicet secundam, quartam, & sextam, exceptis diebus Paschalis, qui sunt quinquaginta, in pane & aqua jejunet: secundam tamen Feriam uno platerio vel denario si sit operarius redimere poterit. Et sic cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare: ita tamen quod in tribus annis

sequentibus sine ulla redemptione omni sexta Feria in pane & aqua jejunet. Et eadem penitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depositionem inducunt. Probatur autem hæc omnia *82. dist. Presbyter si fornicationem.* Quod intelligitur quidam de simplicis fornicatione: alii forte melius secundum Ray. de adulterio vel incestu: puta, quia cognovit conjugatam, consanguineam, vel affinem.

§. 3. Secundus casus est, si Presbyter cognovit filiam suam spirituales, quam scilicet baptizavit, vel in Baptismo vel in Confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit; debet penitentiam agere duodecim annis: & etiam debet deponi, si crimen sit manifestum: & peregrinando quodecim annis peniteat, & postea Monasterium intret totâ vitâ suâ moraturus ibidem. Episcopus verò qui talia commisit, peniteat quindecim annis. Ipsa verò mulier debet omnia relinquere, & res suas pauperibus dare, & conversâ usque ad mortem in Monasterio Deo servire, *xxx. q. 1. si quis Sacerdos, & c. non debet.*

§. 4. Tertius est, quod quicumque filiam suam spiritualem vel matrem cognoscit; septem annis peniteat: & similiter ei consentientes, *xxx. q. 3. non oportet.*

§. 5. Quartus est, quod qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de præsentibus, ipsa dimissa, quadraginta diebus jejunet in pane & aqua: & sequentibus septem annis peniteat, *extra, de spons. duor. acceptis.*

§. 6. Quintus est, quod qui cognoscit duas commatres vel sorores: sive uxor vivat, sive non: ad minus septem annis peniteat, licet plus deberet, *xxx. q. 4. si Presbyter.*

§. 7. Sextus est, quod qui cognoverit Moniam sive Devotam, x. annis peniteat: & similiter ipsa secundum formam traditam, *xxvii. q. 1. de filia, & c. devotam.* In quorum primo c. dicitur, quod si filia Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi post votum solenne contraxerit matrimonium; non admittitur ad communionem; nisi marito defuncto penitentiam egerit: si autem eo vivente decesserit, & penitentiam egerit, & communionem petierit; tantum in fine vite recipiet eam. In secundo c. dicitur quod Devota peccans non est recipienda in Ecclesia, nisi peccata confiteri: & desinens egerit penitentiam x. annis, postea recipiatur ad communionem; & antequam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat.

§. 8. Septimus est, de eo qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem; peniteat vii. annis. Si autem scienter; perpetuo privetur conjugio, *xxxii. q. 1. si quis cum duabus.*

§. 9. Octavus est, quod qui duxit in uxorem quam quam poluit per adulterium, peniteat v. annis, *xxxi. q. 1. si qua vidua.*

§. 10. Nonus est, quod qui contra naturam peccavit, si sit Clericus, debet deponi, vel Religionis tradi, si corrigibilis appareat ad perpetuam penitentiam peragendam. Si verò sit Laicus, à coetu Fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus, *extra, de excess. Prælat. Clerici.* Hoc enim vitium majus est, quam cognoscere matrem, *xxxii. quest. 7. adulterii.* Et hæc August. Adulterii, inquit, malum, vincit fornicationem; vincitur autem ab incestu fornicatio. Pejus enim est cum matre, quam cum aliena uxore concumbere: sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio voluerit uti. Hæc Augustinus. Quocumque autem modo tale factum exerceatur, præterquam inter virum & feminam ordinatè, & in vase debito; vitium contra naturam & Sodomiticum judicatur, ut dicit Ray.

§. 11. Decimus est, quod qui coierit cum brutis, peniteat plusquam vii. annis: & similiter pro incestu, *xxxii. q. 2. hoc ipsum. & §. seq.*

§. 12. Undecimus est, quod Presbyter qui interest clandestinis nuptiis triennio suspenditur; & si culpa exegerit, gravior puniatur, *extra, de clandest. despons. cum inhibito.*

§. 13. Duodecimus est, quod qui votum simplex violaverit, peniteat tribus annis, *27. dist. si vir.*

§. 14. Decimus tertius est, quod qui excommunicatus celebraverit, debet triennio penitere; & per 11. iv. & vi. Feriam à vino & carnibus abstinere, *xi. q. 3. de bis.* De poena verò Degradati celebrantis habetur *dist. 50. accedens.*